


PLAVSVS FESTIVI
In Electione
Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Domini
D. IOANNIS MATTHÆI MARCHETTI
PATRITII PISTORIENSIS
AD EPISCOPATVM ARRETINVM,
Ad Sac. Rom. Imperij Principatum in Etruria, & ad Comitatum Cæſæ &c.


CARMEN

Io: Baptiſtæ Capalli I. V. D. Decani Cathedralis, & Protonotarij Apoſtolici.



ARRETII, M.DC.XCXII.

Typis Lazari Loreti. *Superior. permiſſu.*



ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

PRINCEPS.



IRO ſeptuagenario Veritati litare tantum licet, ILLVSTRISSIME, ET REVERENDISSIME PRINCEPS, ne inter ſabuloſa Poetarum mendacia vitam tranſegiſſe videatur. Hinc ver-

ſam eſſe in luctum citharam noſtram palam demonſtramus, dum breui temporis volatu Grex Arretinus tot Paſtores amarè fleuit ereptos. Sed poſt luctum geminatis plauſibus editis huiuſce Eccleſiæ TE PRINCIPEM immotæ mentis, & probitatis electum eſſe, candore animi Tui, & indita ingenij acie perſpecta, gratulamur vnanimes. Tibi propterea Neſtoreos precamur annos ſperantes fore vt tanquam Eccleſiaſtici iuris propugnatori, & vindici, lupoſque (ſi qui ſint) baculo ab ouibus valido PASTORI GENEROSISSIMO abigenti immortale ſubditi omnes extollamus ſimulacrum. Permittas interim, vt Tuam

hunc

hunc AD EPISCOPATVM ELECTIONEM voto non præcipiti, ſed matura Principum ſententia ſancitam contemplemur. Acclamatæ ſiquidem virtutes Tuæ, PRAESVL OPTIME, in PISTORIENSI Patritio THEATRO a GHERARDO GHERARDI vigilantiſſimo, nec ſatis laudato Epiſcopo, qui nihil Te inconſulto peragebat mirum quantum autoritatis, & laudis TIBI apud SERENISSIMVM MAGNVM ETRVRIAE DVCEM, & SANCTISSIMVM VNIVERSALIS ECCLESIAE PONTIFICEM MAXIMVM INNOCENTIVM pepererunt! Epota ortodoxa pie-

xa pietas, ſacrorum rituum caſtitas, & piaculorum omnium abſterſio cum lacte materno (E PROSAPIA BONACINA GENITRICI TVAE CAROLAE gratulandum.) Te altum in Epiſcopali ſpecula ampliſſimæ huiuſce Diœceſis mores componere, & Gregem numero omni maiorem in viam ſalutis dirigere iure optimo ſuſpicit. Poematium igitur noſtrum huiuſmodi communi beneficio plaudere, & in tabella more geografico TOT HEROES E MARCHETTA NOBILI FAMILIA reſtringere ne dedigneris; (3. *Rhet. c. 6.*) Ariſtotelicum præceptum ſiquidem monens, cum res notæ ſint in memoriam eas ſolummodo

modo

modo breuiter reducere opportere, veneramur. Hac ſententia ſuffulti ſilentio inuoluere æquum duximus PANDOLPHVM, & IVSTINIANVM MARCHETTI, dum primo SENA VETVS CIVITAS VIRGINIS tanto ferè Legiſlatori ſuo epinicia canit, alteri Theologicæ Theſes, & Sacræ Hiſtoriæ luci editæ æternæ nomen vbique perennant. EQVITVM FRANCISCI, HORATII, CAESARIS, & FELICIS nomina ſatis ſit hìc apponere, quandoquidem geſta virorum ſub oculis omnium ſunt, & in tantum vbertatis, & maturitatis gloriæ deuenerunt, vt aliquid addere multum dimi-

nuere esset maximæ scriptorum audaciæ tribuendum. Adolescentium spem sinamus ad immortalitatem crescere, vt TIBI OPTIMO ANTISTITI, virtutique Tuæ sint quam primum coronamentum. Prosequere, vt incepisti, quà verbis, quà beneficijs Oues mulcere, & me propè cadentis ætatis populorum omnium ore loquutum benigno protegas patrocinio. Vale.


Dominationis Tuæ Illustriss. & Reuerendiss.

Addictissimus Seruus
Ioannes Baptista Capalli

PLAV-







PLAVSVS FESTIVI

CARMEN.

EXue pullatas IANI pia REGIA veſtes.
Non decet iſte color tædis cum fulgurat Hymen
Spondens ARRETI primo connubia Templo
Duratura diu ſacro ſub PRÆSVLE, FLORÆ
Quique erit & ROMÆ (ſic ſignant ſidera) grande
Delicium, & noſtri vigilans Seruator Ouilis.
Aliger ARRETI CVSTOS demiſſus ab alto
Antiquum vt Templum medium inter dira Draconum
Ora, & conſperſum diffuſo ſanguine vidit
Chriſtiadum, obſtupuit venerans ſacra mænia, quorum
Pars magna oſſa tegit ſæuo certamine cæſa
Ad FIDEI cultum ſeruandum. Penniger ipſe

Scrutari incipiens hoſtes vbi bella Tyranni
Indixere viris ſumma pietate verendis,
Quique hilares ferro potius ſua colla dederunt,
Quam ſacra thura Dijs fabrili ex arte creatis.
Trans Castrvm graditur, miſtum meminitque cruore
Vectigal Ponto, rutilum & ſoluiſſe tributum,
Impoſuit toties rabies quod ſæua ſecures
Crudeli vibrans ſupra pia colla rotatu.
Præſulis indigitat monumentum, Vrnamque Miniſtri
Aliger auguſtum contemplans Amphitheatrum.
Egreditur portas Vrbis, circumſpicit arua
Læta nimis, Montis veſtigia ſacra ſalutat,
Quæ placidè aſſurgunt Donati nomine clara.
Et ſubitò appulſus memorat miracula Tanti
Præsvlis, & gaudet luſtralis protinus vndæ
Inſpexiſſe locum, diſceſſit & vnde Syranna
Cœca olim precibus claræ citò reddita luci,
Luci, quæ Trino, atque Vno bene lumine lucet
Facta videns Cœli, inſtructa & myſteria noſcit.
Hìc Calicem vitreum fractum firmauit, & vno
Quamuis fragmento obtecto per Dæmonis artem
Obtulit Vnigenæ repletum ſanguine Christi.
Hìc Sacer aſperſit Præsvl Baptiſmatis vnda
Permultos Fidei genitos, plerumque docendo
Atque aluit populos, & dictis terruit hoſtes.
Hinc fluuium tranare Senem, cauſaque Tonantem
Expo-

Expoſcendi in vota, ferunt, vt rebus in arctis
Seruaret populum concuſſum Cæſaris ira.
Pergebat ſupplex DONATVS PRÆSVL in antrum,
Quod veneratur adhuc SACRATÆ VIRGINIS ÆDES
A'GRADIBVS dicta. Hoc inuiſens PENNIGER almæ
Seque CRVCI inclinat, de qua DEVS ipſe locutus
Lætitià Orantis pectus, mentemque repleuit.
LVCILIÆ, FLORÆQVE ſacrum perquirere TEMPLVM
Lætatur, DIVI ſuprema potentia MAVRI
Hìc vbi Tartareos proſternit fulmine vocis,
Chriſtiadum ſoluens monſtrorum pondere membra.
Affecla & indicit pariles ISIDORVS Auerno
Pugnas victrices referens ex hoſte ſubacto
Palmas, quas humilis cognoſcit munus Olympi.
Viſurus patulum puteum, GVASCONA PROPAGO
Quem cæſis membris ſacrauit, ſanguine & auxit,
Aſſurgit pennis altis ſub mœnibus Arcis,
Vidit & obſtupuit. Montem citus aduolat altum,
Templaque centeno circumſpicit ordine Diuis
Dicáta, & laudans tunc Relligionis honorem
DOÑATI luſtrat quæ ſubſunt omnia DEXTRÆ.
Illico IANIGENVM diſceſſit ab VRBE volatu
Pernici, & tetigit regalia littora FLORÆ,
Quam lubrico argento cryſtallinus abluit Arnus.
Aurea dein intrat MEDICVM palatia, COSMI
Et tacito, tenuique gradu penetrare cubile

 Senſit

Senſit vbi PRINCEPS leni dat membra ſopori,
Exiguoquè ſono verba hæc depromſit ad aures.
COSME tuos tandem ſomnos abrumpe, reſolue .
Membra, vocant curæ regnandi. Aurata ſupernè
Olim oculum pictum, at vigilantem ſceptra ferebant.
Inſpice Ianigenum populum PASTORE carentem
Ante pedes flendo reuolutum vota, preceſque
Effundens, Sponſumque petens Eccleſia ſedem
Murice ſidonio tincti circum lare veſte
Optaret, feſtoſque dies celebrare canendo.
Quot PATRES numerat FLORVM de nomine TEMPLVM
Moribus, ingenio, mira pietate nitentes,
Præſtantes animo, ſolertes, mente ſagaci,
Qui poſſent cauti componere legibus Orbem.
Selige quem annorum ſeries, prudentia, praxis
Declaret dignum dominari, & fræna tenere.
Si FLORÆ addicti Patriæ ſeruire peroptant,
Nec cupiunt Arni hoc à littore longius ire,
Vt MAGNI poſſint lætari PRINCIPIS aurà,
Nonnè vides doctum, quem laurea cinxit Athenis
Etruſcis, claro & PISTORIA ſanguine cretum
Principibus ſeruire dedit de more parentum,
Quorum geſta notat tabulis & Patria priſcis.
Namque PETRVS fulgens ſacra ZENONIS in ÆDE
ATTO, qui rutila circumdat tempora mitra,
Largitur ſpatium terræ, vt fundamina Templi
Ponat,

Ponat, & edocto extollat pia menia PAVLO.
Sic PETRVS PAVLO, Patriæque, & consulit Vrbi
Subdita MEDICEIS, quorum auctum est nomen in orbe.
Dux, & Eques legum Crasseto sustulit æquas
Lances IOANNES. Lunæ moderamina flexit
CÆSAR, & Augustis FERNANDI nomine FELIX
Obsequium præstat, PACIS quem GALLIA dixit
AVCTOREM, Pisis & adhuc monumenta perennant.
Sellige IOANNEM nulli pietate secundum.
ALIGER ambrosio finem dedit ore loquendi.
Præpetibus pennis & findens æthera turres
Romuleas tangit, magna & palatia Regum.
Inde SACRAS, quas incolit INNOCENTIVS ÆDES
Scandit, vbi fessus curis PATER ipse senilis
Vires restaurans mulcebat sede curuli
Pectora (& ætati hoc licet, & dandum.) vtile somno.
Hæc cape dicta, infit, Mundo qui munera CHRISTI
IPSE geris. Cœlum concessa aperire potestas
Est TIBI Christiadis, & claudere sponte proteruis
MAGNE gregum PATER, & qui pinguia pascua pandis,
Intuere Etruscos populos ARRETIA MATER
Quos fouet, atque diu proprio vel Præsule tristis
Indiget, & luctu atroci assumitur, astra
Obtundit clamore, quatit sua pectora palmis.
Laudetur licet & BACCI solertia, primo
Quem caput esse loco Cleri Comitia tandem

Opta-

Optarunt, fociuſque illi SVBIANVS adhæret
Herculis inſtar, Atlas ſi praxi BACCIVS extat.
Hi defenſores æqui, ſunt credita ſacra
Iura quibus, lances Aſtreæ pondere iuſto
Omnibus attollunt, quorum ſententia reddit
Vnicuique ſuum, Pax & ſeruatur ad vnguem.
Attamen Vrbs illa, & Paſtoris munera ad aram
Obſeruare cupit ſignum ſpectare ſalutis,
Atque Dioeceſim vaſtam ſeruaſſe tuendo.
Cura illos torquet citò veſtibus oſcula ſacris
Figere, & inde pedi veſtigia ſancta parati
Sponte ſequi, celeres præcepta faceſſere, nutus,
Signa voluntatis, ſubito cognoſcere motu.
Mente tenent THOMAM, & qui fulſit gloria FLORÆ.
Moribus ingenuis, recto detentus, & æquo
Flectebat ſolers ſacri moderamina claui.
Maieſtate potens, exemplo maximus, omnes
In ſe oculos vertens verbo inſpirabat amorem.
Compoſitus cenſor rapiebat corda, regreſſus
Tunc dabat ad Cœlum peccati labe notatis,
Quando abſtergebant contrito viſcera fletu.
Indiga paupertas, duris in rebus egeſtas
Depulſæ ARRETI antiquis à mœnibus olli
Errabant, aurum effundens pia dextera THOMÆ
Eiectos remeare iubet, tunicaque parata
Pauperiem veſtit, citò palloremque, famemque
Amo-

Amouet, atque explet, cui plausit & Orbis, & Axis.
Illi iam THOMÆ SALVIATI clara propago
Qui fuit, & largas gazas effudit egenis.
Sed Ceres, ipsa Ceres Cerealia dona rependit
Iam data pauperibus. Fossas inquire repletas
CESA tuas, SVMMVS PRÆSES tibi præbeat aures.
Nullas addo moras, TER SANCTVS in Orbe SACERDOS,
Hostes Odrisios THOMAS prostrauit. At hæres
Auditu? VENETIS nummorum copia iussu
PRÆSVLIS est data; dic ergo prostrauit & hostes.
Da PATER æqualem Pastorem corde precantur
IANIGENÆ, aut STROZZÆ similem obseruare iubeto,
Sepositis curis agitabant gaudia vultu.
STROZZA olim ANTISTES mitis, clemensque regebat
Subdita corda sibi, placido risuque mouebat
Pectora ad obsequium. Ritus pietatis ad aras
Seruari exemplo mandabat maximus heros,
Atque gregum Mistas claudebat sæpe minores,
Vt possent meliore bono nutrire vagantes
Commissas pecudes, & CHRISTI armenta fouere.
Sic clausi manibus iunctis, & poplite flexo
Numini adorando reddebant vota, precesque,
Gaudebantque flagris corpus laniare cruentis
PRÆSVLIS exemplo, ferratis terga flagellis
Qui dabat, effuso lateresque cruore natabant.
Ad commendatos ipse irrequietus adibat

Iam populos, Fidei quos informabat ad vſum,
Et ſacris dapibus paſcebat Præsvl in aris
Expoſitis poſtquam poſuere piacula ad aures
Sponte Sacerdotum tundentes pectora palmis.
Munificus cunctis, gaudens ad munera velox,
Expellenſque famem, pollens ſatiare cateruas
Paupertate graues, atque ex ſe hoc munus obibat.
Exultans, quatienſque ſolum pede, & ocior aura.
Arreti laribus ſimilem da Tybridis alme
Rector, poſt Petrvm Magnvs Navclervs Olympi,
Non Vsimbardvs memoratur, Riccivs ipſe
Non canitur, neque tam celebris Corsinivs oſtro
Nec datus, & Mitræ raptus citò Præsvl Ioseph,
Omnes illuſtri, egregio dignique decore,
Vt non pęniteat nimium me hìc eſſe locutum,
Aula videt noti virtutem Præsvlis, Aula,
Quæ perſcrutatur prudens noſtri intima cordis,
Illius ingenium noſcit dominàrier aptum
Collaudat matura viri moreſque, decuſque
Egregium, & ſpectat Dignam vel Principe Frontem.
Contendet bello, Ditis certamina, & artes
Deridet, Sacrum Præsvl ſeruabit Ouile.
Arma manu capiet, quæ Stirps Generosa reliquit
Iam Marchetta ſuis telis illuſtris, & haſtis.
Victor erit, moreſque ſacros Eccleſia cernet
Hunc ſeruaturum prauorum geſta ſecutum.

Pon-

Pontifices gratos Domus hæc experta nepotes
Ipſa ſuos vidit SEDES habitaſſe QVIRINI,
Et PICOLOMINEO regnanti Roma fatetur
Conſilijs ſeruaſſe PIO pia facta, fidemque.
Æuo dignus erat longo ille ANTONIVS, armis
Qui Præſes meruit ſtipendia maxima laudis,
Illuſtri titulo ornauit quem PATRIA, & ipſam
Effigiem voluit patulo ſeruarier albo.
Vrbinum petijt, FEDERICVM dixit in Vrbe
Fulmen Mauortis, primum armorumque miniſtrum
PONTIFICIS, cuius geſtis monumenta locuntur.
Selige quem monſtro. Hic ANTISTITIS omnia pollet
Munera perficere, & digna hæc ELECTIO PAPÆ eſt.
Intereà abrumpit ſomnum VENERANDVS, & ORBIS
MAXIMVS, & celſum remeat citò PENNIGER Axem.
Ecce autem adſtat rerum ſacrarum ipſe Miniſter,
PONTIFICI memorat Paſtorem iam eſſe VETVSTIS
Dandum IANIGENIS, magnum vt conſeruet Ouile.
Paucis ille refert. Memori iam mente manebat
Hoc opus occluſum, reſerauit parua quietis
Et mora, Vidimus & generoſum poplite flexum
Miſtam (per viſum tamen.) & dedit oſcula noſtris
Curuatus pedibus. Nos dicimus iſta mereri.
IANIGENVM facimus PASTOREM. Haud plura locutus.
Pagina ſignatur, nomenque aperitur in Aula,
Nomen MATTÆI, iunctumque in fonte IOANNI.

(O &

(O & Cæsareas ferri modo posset ad aures
Lætitia hæc PATRIS, hoc gauderet CAROLA plausu!)
PRÆSVLIS optatus perfertur nuncius omnes
Aulas perlustrat, festiuo atque omine vbiqne
Excipitur. Portat Tirrenum Tybris ad Arnum
Nomen, & exultant blandis refluentibus vndis.
Se extollit CASTRVM, muscosis auribus adstat,
Flumina lætari sensit regalia Turres
Ianigenas sonitu campano, & murmure nutant.
Festanti splendore micant funalia, lucent
Saltantes vndæ, apparent Driadesque, Napææque,
Et ducunt Choreas laribus plaudentibus vltrò.
Acceptum, gratumque sonat sic vndique nomen
PRÆSVLIS, annosa vt surgens ARRETIA marmor
Læta sepulcrale extollat, iamque omnia lustret.
Tympana dum reboant, pulsantur & organa, festis,
Altisonisque diu cantantur vocibus hymni,
Respondentque tubæ lætis clangoribus, ANNOS
PRÆSVL NESTOREOS viuat iuuenesque, senesque
Voce tonant, plaudunt tranquillo sidera risu.
Et Vos, quos inflat fastus, dum in littore CASTRI
Æthera mulcetis cantu, compescitis ora!
Nec præstare pudet secreta silentia, quando
Gestijt Vrbs nostra, & cordis noua gaudia pandit?
Vos instar CLYTIÆ, quam vel VIOLENTIA dulcis
Torquet amore, ad NOSTRVM vertite lumina SOLEM,
PRÆ-

Præsvlis in vultum menteſque, annimoſque tenete
Hoc decet, affectu parili vos Ipse rependet.
Eia agite implorate nouem de more ſorores
Laurigeræ, vt vobis aſpirent, carmina & æqua
Tanto & digna Viro inſpirent, ſuggerat ipſa
Mnemoſyne, & ſacrata Cohors Heliconia Phœbi.
Terpſicore decorata Iovis ſede ipſa Polorum
Myſtica diſſoluat, Vos veſtris reddite metris,
Laudibus ingenium fœcundum Præsvlis aſtris
Innoteſcat, erit veſtrum memorabile carmen.
Fons reſonans tremulus ſe veſtris cantibus aptans
Mellifluas ſpargit, gelidaſque Heliconius vndas.
Hùc aduentate, & labris libate quot eſtis.
Aſpera ſique ſitis Vos implacabilis vrget
Labra Caballino læti perſundite fonte.
Aſcra dabit latices, qui Vatum carmina reddent
Candidiora, petant cuncti, remeantque Poetæ.
Bellorophonteum haud ignara Polymnia Montem
Oſtendet, vitreos fontes Aganippidos, vndas
Hippocrenæas, quas lauri frondibus ornant.
Si veſtrum quiſquis Phœbi ſtimulatus ab œſtro eſt
Concinat, & ſocios iam metris ipſe laceſſat,
Et maiora canat præconia cognita Nostri
Præsvlis, & Famæ feſtiuæ iubilet echo.
Dum citò percurrent genialia nablia pulſu,
Expedient plectrum, pulſabunt rauca ſodales
Cym-

Cymbala, ſed Citharas luſtrabunt pectine, ab ore
Buccina dependet, blanda & caua tibia ſomnos
utiet, ſonitu laudabit fiſtula verſus.
Intereà veſtris aduertam cantibus aures.

F I N I S.

Videat, & referat Reuerendiſs. D. Canon Giannerini. *Simon Prateſini Vic*

Ex mandato Reuerendiſs. D. Simonis Prateſini Vicarij Generalis Arretini vidi ego infraſcriptus Poematium hoc, cui titulus, PLAVSVS FESTIVI &c. Auctore Reuerendiſs. D. Io: Baptiſta Capalli Decano Cathedralis Arretinæ, & Protonotario Apoſtolico, & ſanè nil in eo reperi, quod bonis moribus ſit diſſonum, veritatiq; Catholicæ aduerſum, imo in memorandis Clariſſimorum Præſulum noſtrorum geſtis, adeò expreſſa lucent virtutum decora, vt cum honorem ſint allatura in lucem edita, euulgari cenſeo.

Arretij 23. Menſis Maij 1692.

Ego Marcus Giannerini Canonicus Cathedralis Arretinæ, & I.V.D.

Attenta dicta relatione imprimatur. Dat. Arretij hac die 23. Maij 1692.

Simon Prateſini Vic. Generalis.

Videat, & referat Reuerendiſs. D. Io: Darius Cipolleſchi Eccl. Cathedr. Canic. Procur. Reor. S. Off.

Antonius Felix Aſpettati Vic. S. Off. Arretij.

P. Tuæ Admod. Reu. vidi opus, cui Titul. S FESTIVI, Auctore Reuerendiss. D. ...ta Capalli Cathedr. huius Aret. Vrbis ...cano Protonot. Apostol. I. V. D. & cum nil nec in numerica, nec soluta oratione contra fidem, bonosque mores repererim encyclopediam admiratus, imprimi posse seruat. seruand. censeo.

Io: Darius Cipolleschi Canonic. Cathedral. Procur. Reor. S. Off.

Attenta relatione subscripti Reuerendiss. Canonici Io: Darij Cipolleschi. Imprimatur.

Antonius Felix Aspettati Vic. S. Officij.

Illustris. e Clariss. Sig. Commissario mio Sig.

Hò visto, e letto la presente Operetta intitolata *Plausus Festiui*, composta dal Reuerendiss. Sig. Gio: Battista Capalli Decano della Cattedrale Aretina, e non ci hò trouato alcuna cosa repugnante à Prencipi, e buon gouerno, & in fede hò sottoscritto di mia proprio pugno, questo dì 28. Maggio 1692.

Giuseppe Venerosi Pesciolini Giud.

Stampisi

Giouanni da Fortuna Senatore, e Commissario d'Arezzo per il Serenissimo Gran Duca di Toscana.

